

*Venit Jesus et accipit panem et dat eis, et piscem.*

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem      21, 1-14

**I**n illo témpore:

<sup>1</sup> **M**anifestávit se íterum Jesus discípulis ad mare Tiberíadis; manifestávit autem sic.

<sup>2</sup> Erant simul Simon Petrus et Thomas, qui díicitur Dídymus, et Nathánael, qui erat a Cana Galiléæ, et filii Zebedæi et álli ex discípulis eius duo.

<sup>3</sup> Dicit eis Simon Petrus: «Vado piscári». Dicunt ei: «Venímus et nos tecum». Exiérunt et ascendérunt in navem; et illa nocte nihil prendidérunt.

<sup>4</sup> Mane autem iam facto, stetit Jesus in lítore; non tamen sciébant discípuli quia Jesus est.

<sup>5</sup> Dicit ergo eis Jesus: «Púeri, numquid pulmentárium habétis?». Respondérunt ei: «Non».

<sup>6</sup> Ille autem dixit eis: «Míttite in déxteram navígii rete et inveniétis». Misérunt ergo et iam non valébant illud tráhere a multitúdine píscium.

<sup>7</sup> Dicit ergo discípulus ille, quem diligébat Jesus, Petro: «Dóminus est!».

Simon ergo Petrus, cum audísset quia Dóminus est, túnicam succínxit se, erat enim nudus, et misit se in mare;

<sup>8</sup> álli autem discípuli navígio venérunt, non enim longe erant a terra,

sed quasi cùbitis ducéntis,  
trahéntes rete píscium.

<sup>9</sup> Ut ergo descendérunt in terram,  
vident prunas pósitas  
et piscem superpósitum et panem.

<sup>10</sup> Dicit eis Iesus:  
«Afférte de píscibus, quos prendidístis nunc».

<sup>11</sup> Ascéndit Simon Petrus  
et traxit rete in terram, plenum magnis píscibus,  
centum quinquagínta tribus;  
et cum tanti essent, non est scissum rete.

<sup>12</sup> Dicit eis Iesus: «Veníte, prandéte». Nemo autem audébat discipulórum interrogáre eum:  
«Tu quis es?», sciéntes quia Dóminus est.

<sup>13</sup> Venit Iesus et áccipit panem et dat eis  
et piscem simíliter.

<sup>14</sup> Hoc iam tértio manifestátus est Iesus discípulis,  
cum resurrexísset a mórtuis.

Verbum Dómini.